

personam indicat, aliud naturam; unde August., lib. contra Felician., c. 11: *In homine, inquit, non alius homo anima, alius homo corpus, sed aliud anima, aliud corpus, sic in Mediatore, aliud Dei Filius, aliud hominis filius, sed non alius et alius, sed unus et idem.* Idem fere in Enchirid., c. 35 et 36. Et confirmari potest, nam, si aliud et aliud diceret diversitatem suppositorum, in Trinitate Pater et Filius possent dici aliud et aliud, quod est contra omnes Sanctos, Augustin. et Damasc., supra, Nazian., et alios, quos statim referam. Quod si respondeatur relativum aliud, dicere diversitatem suppositi et naturæ, et ex secundo capite, illam locutionem in Trinitate esse falsam, contra hoc est ratio quæ ex D. Thoma supra desumitur, quia alterum et alterum non dicunt diversitatem suppositi, nam idem dicitur alter a se ipso, si accidentaliter mutatus sit; ergo neque aliud et aliud necessario dicit diversitatem suppositorum; nam, licet sit relativum substantiæ, solum dicit diversitatem essentialem in natura substantiali.

7. *Christus non potest dici alius et alius.* — An possit dici aliud et aliud. — In hac re primo certum est, Christum non posse dici alium et alium. Ita docent Patres citati, quia, sicut unus masculine proprie refertur ad unitatem personæ, ita alius, ad ejusdem distinctionem, et ideo in Trinitate Pater dicitur alius a Filio. Secundo, est certum in Christo esse aliud et aliud, quia natura divina est aliud ab humana, et e converso, quomodo Nazian.: *Aliud, inquit, et aliud sunt, ea quibus est Salvator, non tamen alius atque alius, ambo enim hæc connexione unum sunt;* ejus contrarium dicit esse in Trinitate, ubi Pater est alius a Filio, non aliud. Quæ doctrina Nazianz. refertur et probatur in Conc. Chalced., act. 4, et similem habet Athanas., ep. ad Epict., sub fin.; Cyril., lib. de Incarn., c. 36, ubi dicit Christum esse Deum et hominem, secundum aliud et aliud. Leo Pap., ep. 10, c. 4: *Quamvis in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit, aliud tamen, unde contumelia in utroque communis, aliud unde communis est gloria.* Tertio, illa propositio: *Christus est aliud et aliud,* neganda potius est, quam concedenda, quia juxta communem significationem et sensum ejus, significando diversitatem in natura substantiali, significat etiam diversitatem in supposito, quia significat diversitatem simpliciter, quæ includit utramque distinctionem, in quo differt ab illo relativo, alterum, quod tantum dicit diversitatem secundum quid. Et licet

fortasse contrarium probabiliter defendi posset, tamen cum propositio sit ambigua, et possit facere erroneum sensum, simpliciter admittenda non est; dicatur ergo Christus habere aliud et aliud, et esse Deum et hominem secundum aliud et aliud, et componi ex his quæ sunt aliud et aliud; non vero simpliciter esse aliud et aliud. In solutione ad 3, docet D. Thomas hanc propositionem esse falsam: *Christus est tantum homo,* quia illa dictio exclusiva posita in prædicato cadit supra formale ejus, unde excludit aliam naturam, non aliud suppositum, unde eadem ratione hæc etiam est falsa: *Christus est tantum Deus,* et constat, quia est utrumque; ergo non est tantum alterum illorum.

8. *Objectio.* — *Responsio.* — Quod si obiciatur quia illa dictio exclusiva ita resolvenda est, quia Christus est homo, et non est aliud quam homo; sed utraque est vera, quia, juxta dicta, Christus non est aliud et aliud: respondet D. Thomas illam propositionem exclusivam non ita esse exponendam, sed hoc modo: *Christus est homo, et non habet aliud esse quam hominis,* et hæc posterior falsa est. Quam doctrinam admittunt Scotus, et fere alii Theologi, in 3, dist. 6, et est consentanea Damas., lib. 3 de Fid., c. 7, qui addit hanc locutionem posse admitti: *Totus Christus est homo, et totus Christus est Deus, et Christus est totus homo, et Christus est totus Deus.* Et quidem in his posterioribus locutionibus, cum particula, *totus,* est pars prædicati, nulla est difficultas, quia, ut bene Damascenus inquit, in eis solum significatur, Christum esse perfectum Deum, et perfectum hominem, et habere in se totam Dei naturam, et totam hominis naturam; at vero in prioribus locutionibus ubi particula *totus,* est pars subjecti, et conjungitur cum Christo, cavenda est ambiguitas; significari enim per illas potest, totam personam Christi esse Deum, et totam esse hominem, et ita sunt veræ, ut recte Damasc. explicavit; significari etiam potest Christum totaliter, ut ita dicam, constitui humanitate vel divinitate, atque adeo vel divinitatem solum, vel humanitatem esse totam formam qua Christus constituitur, et hic sensus esset falsus, et ideo non videtur esse loquendum sine sufficienti expositione. Sic enim dixit Augustinus, sermon. 30 de Verbis Apostoli: *Qui Jesum Christum plus quam hominem non noverunt, Jesum Christum utique non noverunt; si enim tantummodo homo est, et nihil amplius, non est ipse Jesus Christus.*

Reliqua argumenta D. Thomæ alia expositione non indigent.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo sit tantum unum esse¹.

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in Christo non sit tantum unum esse, sed duo. Dicit enim Damasc. in 3 libro², quod ea, quæ consequuntur naturam, in Christo duplicantur. Sed esse consequitur naturam, esse enim est a forma. Ergo in Christo sunt duo esse.*

2. *Præterea, esse Filii Dei est ipsa natura divina, et est æternum. Esse autem hominis Christi non est divina natura; sed est esse temporale. Ergo in Christo non est tantum unum esse.*

3. *Præterea, in Trinitate quævis sint tres personæ, est tamen unum esse propter unitatem naturæ. Sed in Christo sunt duæ naturæ, quævis sit una persona. Ergo in Christo non est tantum unum esse, sed duo.*

4. *Præterea, in Christo anima dat aliquod esse corpori, cum sit forma ejus. Sed non dat sibi esse divinum, cum sit increatum. Ergo in Christo est aliud esse, præter esse divinum, et sic in Christo non est tantum unum esse.*

Sed contra, unumquodque secundum hoc dicitur ens, secundum quod dicitur unum; quia unum et ens convertuntur. Si ergo in Christo essent duo esse, et non tantum unum, Christus esset duo, et non unum.

Respondeo dicendum quod, quia in Christo sunt duæ naturæ et una hypostasis, necesse est quod ea, quæ ad naturam pertinent in Christo, sint duo; quæ autem pertinent ad hypostasim in Christo, sint unum tantum. Esse autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim. Ad hypostasim quidem, sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, et humanitate est aliquis homo. Est autem considerandum, quod si est aliqua forma vel natura, quæ non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed secundum quid, sicut esse

¹ 3, d. 4, q. 1, art. 2, q. 1, corp., fin., et dist. 6, q. 2, a. 2; et Unio., art. 4; et Quodl. 9, q. 2, art. 2; et opus. 2, c. 216 et 219.

² Cap. 13.

album est esse Socratis, non in quantum est Socrates, sed in quantum est albus. Et hujusmodi esse nihil prohibet multiplicari in una hypostasi, vel persona; aliud enim est esse, quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus. Sed illud esse, quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona multiplicari; quia impossibile est quod unius rei non sit unum esse. Si igitur humana natura adveniret Filio Dei, non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter (sicut quidam posuerunt), oporteret ponere in Christo duo esse: unum quidem, secundum quod est Deus, aliud autem secundum quod est homo. Sicut in Socrate ponitur aliud esse secundum quod est albus, et aliud secundum quod est homo, quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale Socratis. Esse autem capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis; et ideo ex omnibus his non fit nisi unum esse in Socrate. Et si contingeret, quod post constitutionem personæ Socratis, adveniret Socrati manus, vel pedes, vel oculi (sicut accidit in caeco nato), ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed solum relatio quædam ad hujusmodi, quia, scilicet, diceretur esse, non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea quæ sibi postmodum advenerunt. Sic igitur, cum humana natura conjungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter (ut supra dictum est¹), et non accidentaliter, consequens est quod secundum humanam naturam non adveniat sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam, ut, scilicet, persona illa jam dicatur subsistere, non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam.

Ad primum ergo dicendum, quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est; personam autem sive hypostasim consequitur sicut habentem esse. Et ideo magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturæ.

Ad secundum dicendum, quod illud esse æternum Filii Dei, quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personæ.

Ad tertium dicendum, quod, sicut in prima parte dictum est², quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud

¹ Q. 2, art. 5 et 6.

² 1 p., q. 3, art. 3 et 4, et q. 39, a. 1.

esse personæ præter esse naturæ; et ideo tres personæ non habent nisi unum esse. Haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, et aliud esse naturæ.

Ad quartum dicendum, quod anima in Christo dat esse corpori, in quantum facit ipsum actu animatum; quod est dare ei complementum naturæ et speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore (prout significatur nomine humanitatis), non significatur ut quod est, sed ut quo aliquid est. Et ideo ipsum esse est personæ subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam; cujus habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam, informando corpus.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo, non solum est quæstio de modo loquendi, sed etiam de re ipsa. Et quoniam mens D. Thomæ in toto articulo obscura est, prius res ipsa disputanda videtur, et deinde sensus D. Thomæ, et vera ejus mens ac sententiæ explicanda; ipse enim simpliciter docet, in Christo esse tantum unum esse personale. Quid autem intelligat nomine esse personalis, quomodo etiam illud affirmet esse unum, non satis declarat, neque etiam exponit quomodo per illud esse humanitas ipsa existat; omnia ergo hæc ex sequenti disputatione constabunt.

DISPUTATIO XXXVI,

In duas sectiones distributa.

DE ESSE EXISTENTIÆ CHRISTI ET HUMANITATIS
EJUS.

Duo breviter in hac disputatione tractanda sunt. Primum est, per quam existentiam humanitas Christi in rerum natura existat; alterum vero estan et quomodo esse existentiae Christi unum sit; quæ disputatio, quod ad rem ipsam attinet, et præsertim quoad primam ejus partem, ad quæstionem secundam D. Thomæ pertinebat, ubi mysterium ipsum et unio incarnationis explicata est. Ibi enim videndum erat an hæc unio sit in ipsa existentia increata, necne; tamen in hunc locum remissa est, ut hoc consuetudini daremus, et quia maxime videtur hæc disputatio necessaria ad ea intelligenda, quæ D. Thomas in hoc articulo tradit.

SECTIO I.

An humanitas Christi formaliter et intrinsece existat in rerum natura per existentiam increatam, vel per propriam et creatam.

1. Prima sententiæ negat in Christi humanitate esse aliquam existentiam creatam, sed per unionem assumptam esse ad existendum per ipsam existentiam increatam Verbi divini. Hæc est sententiæ communis Thomistarum: Cajet. hic; Capreol., in 3, dist. 6; Ferrar., 4 contra Gent., c. 35 et 41; tenet etiam Henric., Quodlib. 3, q. 2, et communiter censetur esse D. Thom. Quæ sententiæ supponit unum metaphysicum fundamentum, scilicet, existentiam et essentiam in rebus creatis realiter, seu ex natura rei, ita distingui, ut possit natura creata in essentia sua conservari, et privari sua existentia, et per alienam terminari. Nam ex hoc fundamento sequitur, possibile esse humanitatem Christi esse privatam propria existentia creata, et per existentiam Verbi ita esse terminatam, ut per eam formaliter existat. Sicut enim supra dicebamus, Verbum potuisse assumere naturam ad suam subsistentiam, quia ex parte naturæ est distinctio sufficiens, et ex parte Verbi nulla est imperfectio, seu defectus perfectionis unde hoc possit impediri, ita, supposita distinctione existentiae creatæ ab essentia, est ex parte naturæ sufficiens fundamentum, ut possit privari propria existentia, et assumi ad existendum existentia aliena; ex parte autem Verbi est sufficiens perfectio, ut possit supplere existentiam alienam, quia est suum esse perfectissimum et infinitum, eminenter continens omne esse creaturæ, et sine imperfectione hoc facere potest per mutationem creaturæ, sine mutatione sui. Quod si hoc fieri potest, non est negandum quin factum sit in hoc mysterio: primo quidem, quia ita insinuant sancti Patres, Sophron., Damasc. et D. Thomas. Et deinde, quia hoc modo melius intelligitur substantialis unio ac per se, quæ alia ratione vix potest intelligi. Quæ omnia commodius proponemus infra, cum illis satisfaciendum erit; nunc solum insinuata sunt ad explicandum fundamentum hujus sententiæ.

2. *Impossibile est humanitatem existere existentia increata.* — Dico primo: impossibile est humanitatem existere in rerum natura per existentiam increatam Dei, seu divini Verbi, unde necesse est ut existat per existentiam

propriam et creatam. Hæc est communior sententiæ Theologorum, Altisiod., lib. tertio Summ., tract. 1, c. 1, q. 8; Albert., in 3, dist. 6, q. 2, art. 4; et ibi Scot., Durand., Gabr., Almay.; Bonavent., dist. 5, a. 2, q. 1, ad argum.; et ex Thomistis, Hervæ., dist. 9, q. 1, art. 3; Paludan., q. 3, qui late defendit hanc sententiæ non esse contrariam D. Thomæ, sed potius illius doctrinæ consentaneam. In Conciliis vel sanctis Patribus pauca referuntur, quibus satis possit hæc conclusio confirmari; in hoc vero favent huic assertioni, quod loquentes de hoc mysterio, semper supponunt humanitatem Christi habere in se intrinsecam entitatem actualem creatam, distinctam ab entitate et actualitate Verbi, et prærequisitam ad ipsam unionem. Ex quo principio potissimum confirmanda nobis est hæc conclusio. Deinde in VII Synod., act. 6, tom. 3, col. 8, quidam Epiphanius Episcopus ita distinguit naturam ab hypostasi, quod natura dicit tantum humanitatem existentem, hypostasis vero addit subsistentiam. Præterea Damasc., lib. 3, cap. 3, dicit Verbum assumpsisse humanitatem, *nec substantia, nec existentia privatam*. Sic enim vertit Faber, aliter enim vertit Billius, scilicet: *Assumpsit humanitatem non redactam in nihilum*, id est, non privatam existentia. Hoc enim ad litteram significat vox græca, ac si idem sit privari existentia, quod redigi in nihilum. Et c. 11 et 12, dicit Damasc. humanitatem habuisse existentiam in Verbo, non per Verbum; et ibidem distinguit existentiam humanitatis ab assumptione.

3. *Existentia quid sit.* — Ut ratione probemus hanc conclusionem, oportet ut in æquivoco non laboremus, et inter auctores utriusque opinionis conveniat, quid nomine existentiae significetur. Ego enim per existentiam intelligo id, quo unaquæque res formaliter habet, ut sit actualis entitas in rerum natura, et extra nihil, seu extra causas suas; ut, verbi gratia, anima Christi, vel humanitas priusquam crearetur, actu nihil erat, sed solum in potentia; cum primum ergo intelligitur exire ex illa potentia in actum, et desinere esse nihil, intelligitur actu existens; et existentia illius erit ille modus, vel illa actualitas quo intrinsece et formaliter constituitur extra nihil. Quod autem iste sit proprius et præcisus conceptus existentiae, late ostensum est in propria disputatione metaphysica de hac re. Nunc breviter declaratur primo, quia res, quæ actu est extra nihil, et extra causas, hoc ipso in-

telligitur actu existens; quid enim aliud significare potest hoc verbum existendi? Sed existentia est id, quo res existit formaliter; ergo. Secundo, omnis res, cum primum intelligitur producta a sua causa, et esse extra nihil, intelligitur habere aliquod esse, quod ab æterno non habuit; ergo illud esse est esse existentiae. Antecedens per se notum est, quia habet aliquod esse quod est terminus actionis novæ quæ ab æterno non fuit. Consequentia vero probatur, quia illud esse non est essentiae, ut sic, quia esse essentiae, quod a D. Thoma aliquando distinguitur ab esse existentiae in creaturis, dicitur esse æternum et immutabile, et inseparabile ab essentia; et propterea distingui dicitur ab ipsa existentia; at vero hoc esse novum, quod habet res, cum primo producit, seu per ipsam productionem, est temporale, et separabile ab essentia; potest enim res amittere hoc esse, quamvis rei essentia semper eadem maneat; non est ergo hoc esse essentiae, sed existentiae. Tertio, quia si ex hoc quod res intelligitur actu esse in rerum natura extra causas suas, non intelligitur actu existens, quæro quid illi addat existentia postea adveniens. Certe non potest illi tribuere ut actu sit, hoc enim aperte supponitur ex vi prioris conceptus; tribuet ergo quod hoc vel illo modo sit; at vero hoc jam non pertinet ad rationem existendi absolute, sed ad determinationem quamdam et modificationem ipsius existentiae, unde hoc potius pertinet ad rationem subsistentiae vel inhærentiae. Quod si quis contendat, hunc modum determinatam, ut ita dicam, entitatem actualem, ut sic vel aliter sit, vocari existentiam, et non illud ipsum esse, quo constituitur res in esse entitatis actualis, de significatione vocis potius quam de re contendit, et contra communem modum concipiendi non solum sapientum, sed etiam omnium hominum, utitur nominibus; quamvis enim quantitas, verbi gratia, in sacramento Eucharistiæ mutet modum existendi, nullus tamen dicet mutare ipsam existentiam, quæ eadem est in quantitate, sive inhæreat, sive a subjecto separetur.

4. *Existentia est de formali conceptu entis in actu.* — Ex ratione vero existentiae sic explicata, colligitur primo, fieri non posse ut aliquid sit ens in actu, seu ut concipiatur tanquam actualis entitas, quin in suo conceptu formaliter et intrinsece includat existentiam, ita ut nec per abstractionem præcisivam intellectus, possit unum ab altero sepa-